

## CIRCA CLERICALEM DIGNITATEM.

Ad tom. 3. Part. 1. de Examine Ordinandorum.

Interdicitur Clericis, vel sub alieno Laici nomine, qualibet negotiatio.

BENEDICTUS EPISCOPUS,  
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei  
memoriam.

**A**postolicæ servitutis commissum Nobis divinitus officium assidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in Nobis est, provida sollicitudine coercentes, Domini ovilis gregem, superna opitulante gratia, ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura constringit deis, qui Ecclesiastico Ordini adscripti, & ad sanctioris vite genus electi, aliis in via salutis actuum suorum claritate præluere debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne ceteros Christianos, quos pro gradus sui sanctitate verbis, & exemplo edificare debent, morum suorum pravitate, à cælestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

§. 1. Cum itaque, ut non sine gravi animi nostri mœrore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaserit animos, ut illicitam Ecclesiasticam negotiationem, ad evitandas penas adversus illam exercentes à Sacris Canonibus, & Apostolicis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutionibus sanctas, sub alieni nominis velamine, Dei timore, Ecclesiastici nominis decore, & æterno futurum animarum periculo posthabitis, temere, nulliterque exercere non dubitent; & quod palam temporalium penarum metu aggredi non audent, qualitis deinde coloribus, & vanis inanum rationum prætextibus clam effecere non timeant; quasi vel Dei oculos, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, latere, vel Supremi Judicis, qui non fallitur, examen effugere possint: Nos attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, cælestia despiciere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus negotiator ex inope dives, & ex ignobili gloriosus, tanquam pestis, ut Beatus Hieronymus docet, fugiendus est; ad exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico Cætu eliminandam, & ut Sancto Ecclesiæ Dei famulatu addidit, ab omni turpis, lucri cupiditate abhorrentes, student bene agere, & divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum; omnes, & singulas Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum prædictorum Constitutiones, illarumque quamlibet contra quoscunque Clericos illicitos negotiatores desuper quomodolibet

bet respectivè, cum omnibus, & singulis penis, contra eosdem Clericos illicite negotiantes, editas, quas Constitutiones hujusmodi, ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, pro inferis haberi volumus, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine nostris innovamus, confirmamus, & approbamus, eisque, & earum cuilibet novam Apostolicam firmitatis, & inviolabilis observantia rebur adjicimus, illasque sic innovatas, confirmatas, & approbatas, cum omnibus, & singulis penis in eis, & potestatis plenitudine adversus Clericos illicite negotiatores hujusmodi contentis, ad Clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque, & singula Constitutiones, earumque qualibet adversus eos desuper edita fuissent, & in eis, & earum qualibet expressi, & denominati reperirentur, motu, & potestatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, & ampliamus; illorumque omnia, & singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, sub inevitabili spoliis pena, ad formam Constitutionis sel. rec. Pii Papa IV. sim iliter Prædecessoris nostri, quæ incipit *Decens esse*, subijcimus, & subjecta esse volumus, & declaramus.

§. 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocunque mundanarum curarum onere, & humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, qui propter Nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia Nos divites effemus, per calcatas mundi opes liberius, & expeditius sequantur, memores salutaris illius Beati Apostoli moniti, qui clamat, & dicit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit*, per easdem nostras præfatas perpetuo valituras, motu, & potestatis plenitudine præfatis decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium Ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed à laica persona inchoatum, & ad eosdem Clericos, sive hereditario jure, aut quocunque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, & aliis coheredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine, etiam per suos coheredes, aut socios profecti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium hujusmodi sine ipsius Clerici

tem-

temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam, Insulasque adjacentes existat Clericus, à Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini Interpretum Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim, quod negotium hujusmodi à laico administretur, impetrare teneatur; dictaque Congregatio, aut Ordinarius Loci, perpenis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiat, tempusque in eo ad idem negotium dimitendum præscribat; & si Clericus negotium præfatum, licet à Laico, ut præfertur, institutum, absque licentia hujusmodi gratis semper ubi impedienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicite haberi, illumque omnibus, & singulis etiam spoliis penis præfatis subjectum esse, motu, & potestatis plenitudine dictis perfectum volumus, & definimus.

§. 3. Ac demum, eo quod sel. rec. Prædecessor noster Pius Papa IV. per suas Litteras, quarum initium est: *Romanus Pontifex*: declaravit, præfata Constitutione super Spoliis Clericorum ob illicitam negotiationem à se edita, Prælatos, Officiales, ac alios Sæculares, & cujusvis Ordinis Regulares Clericos, aliosque cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præsentia in Urbe, & Curia, ejusque Districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi, & alias de bonis suis quibuscunque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali Sedis Apostolicæ indulto, vel suorum Officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendendi, & quod Paulus Papa V. pariter Prædecessor noster per suas Litteras, quæ incipiunt: *In eminenti*: Clericos Civis, & Curiales, sive Incolas hujus nostræ Urbis, tunc suæ, exemit à spolio, quoad bona in eadem Urbe, ejusque Districtu intra decem miliaria consistentia, etiam ex redditibus Ecclesiasticis per eos acquita, unde dubitari contigit, an suffragetur, quoque ad evitandum Spolium Camera nostræ Apostolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: Nos Constitutiones Pii, & Pauli Prædecessorum nostrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione hujusmodi à Civibus, & Curialibus, sive Incolis Clericis cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, quibuscunque indultis, ac privilegiis munitis, comparata, & in Urbe, ejusque Districtu præfatis, & ubicunque existentia, minime ad præmissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia Camera nostræ Apostolicæ vero jure spoliis deberi, perinde ac si Constitutiones Pii, & Pauli Prædecessorum hujusmodi ad præmissorum, omnium, &

singulorum effectum impediendum minime ornate fuissent, motu simili pariter declaramus, & statuimus, dictaque Pii, & Pauli Prædecessorum Constitutiones, quoad præmissorum effectum fortitendum, plenarie abrogamus, & abolemus.

§. 4. Decretis sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane quidquid fecerit super his à quovis quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri nostro Annibaldi S. R. E. Cardinali Episcopo Sabinen. Albani nuncupato Camerario nostro, & ejus in Camerariatus officio successoribus per Apostolica scripta mandamus, quatenus spolia ipsa ex bonis ex illicita negotiatione provenientia, uti vere spolia, prout alia ipsius Camera jura, exigi, & recuperari, ac præfatos nostras Litteras inviolabiliter observari faciat, nec permittat, Camera ipsam, vel pro ea agentes desuper modo aliquo molesta, perturbari, aut inquietari, Contradictores quoscunque, & Rebelles per censuras, & penas Ecclesiasticas, & appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus prædicti Pii, & Pauli Prædecessorum, aliosque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis facultatibus testandi, aliisque Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis concessis, approbatis, & innovatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & expressa mentio facienda esset illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus, ceterisque contrariis quibuscunque; etiam si quibusvis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto hujusmodi mentionem: Et quia difficile foret præfatos nostras Litteras ad singula quaque loca deferri, volumus, & declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & alicujus Prælati sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, statuti, ordinationis, concessionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

R 2

Da-



Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragelimo, quinto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo. *D. Card. Passioneus. X. Sub-Datarius.* Visa de Curia. N. Antonellus, J. B. Eugenius. Loco ✕ Plumbi. Registrata in Secretaria Brevium. *Publicat. die 8. Martii ejusdem anni.*

De non promotis ad Presbyteratum, hujus Ordinis Sacra munia exercentibus, vide *supr. circa Sacramentum Penitentia, ad Tom. 1. Part. 4. Cap. 4. & 10.*

De Ordinationibus Regularium, vide etiam *supra circa Monialium Confessarios, &c. ad ejusd. Tom. 1. Part. 2. cap. 3. & 5.*

## CIRCA EUCHARISTIAM, ET MISSAM, hujusque celebrationem, applicationem, atque spendium.

*Ad dict. Tom. 3. Part. 1. Cap. 2.*

*Ne ad compescendum incendium Sacra Pyxis cum Sanctissimo ex Ecclesia adferatur.*

Venerabili Fratri nostro, Fr. Joanni Antonio, Episcopo Tusculano S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario Generali.

**BENEDICTUS PAPA XIV.**  
Venerabilis Frater noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

**C**UM, ut recte nosti, proximo Superiore mense Aprilis invasisset ignis suppellectiles, ac merces quasdam asservatas in parvis quibusdam domibus sitis in Foro Montium dicto, Parochialis districtus S. Nicolai in Carcere, cumque continuo, quod satis superque fieri elatet, in magnum crevissent incendium; memoratæ Parochialis, insimulque Collegiatæ Ecclesiæ Canonici suum esse existimarunt, hortari populum ad Dei implorandam opem, ut pro sua misericordia maximum impendens detrimentum avertere dignaretur, cujus vehementer suberat timor, quoties extinctum incendium non fuisset.

§. 2. Ad congregandum populum initum fuit consilium, ut circumiens Minister tintinnabulum pulsare ad eum plane modum, quo cogi multitudo solet, ut Sanctissimum Sacramentum ad ægrum aliquem deferendum comiteretur. Cumque ita contigisset, ut Ecclesia populo compleretur; ante Aram Beatissimæ Virginis dicatam, multa quidem Religione recitandum fuit elata voce Rosarium, atque etiam in ejusdem Sanctissimæ Virginis honorem cantatæ fuerunt Litaniz. Ad hæc Sacerdos pio æque, ac ferventi sermone interessentes excitavit ad Dei placandam indignationem; implorata sibi ex animo de patris criminibus venia; & quantum quidem relatum est, insonuit Templum cla-

moribus illorum, qui sibi à divina misericordia multis gemitibus, & lacrymis patrorum criminum veniam precabantur.

§. 3. Si nihil fuisset præterea gestum, nihil quoque fuisset, quod objiceretur; & nemo piam agendi rationem in memorato luctuoso casu servatam non laudasset. At cum ex religioso, sanctoque studio adaugendæ devotionis populi, enixique ejusdem votis satisfaciendi, opportunitum quid, & congruum visum fuerit præcipere, ut referato Tabernaculo, in quo Sacra Pyxis custoditur, eadem super populo, & ad incendium benediceretur.

§. 4. Cumque is, qui Parochi vice fungitur, data sibi iussu perficiens, sacris indutus vestibus, accepta Sacra Pyxide, in qua erat adorandum Sacramentum; ab Ecclesia processerit, satis congruo focum, ministeriorumque numero stipatus; mediæque in via consistens, unde ignis erat conspicuus, Pyxide, humerali velo obiecta non solum coactæ immensæ multitudini, sed, & regionem voraci igne vastatam benedixerit; hoc plane illud est, unde sermones varii exorti sunt; quibusdam factum ipsum commendantibus; censentibus aliis, in ea facti specie secus rem transigi non potuisse, ne populi frigeret devotio, neve offenderentur passivi, sibi, cohibendoque igni benedictionem vehementissime exoptantes; aliis denique contra assertum novum incongruumque ritum inclamantibus.

§. 5. Et quamvis Fratemitas tua inter hæc disputationes non aliam, prout affoles, in veris rationem, quam quæ Christianæ prudentiæ omnino congruerit, hancque ipsam probaverimus ipsi, & nunc quoque, ut mox constabit; probemus; nobis tamen videmur facere non posse, quin ea, quæ ipsi hac de re expendimus, ac notavimus; perfecta tibi reddamus hinc nostris litteris; & quas man-

mandamus, in futurorum temporum normam, apud Acta tabularii tui asservari.

§. 6. Quicumque ea, quæ gesta sunt probanda sibi, ac defendenda suscipiens, affereret, nihil plane in eo præstitum, quod cultui Sanctissimæ Eucharistiæ debito non congruerit, & perdifficile esse per integram rei gestæ feriem, quidquam offendere ex intrinseca ratione improbandum, immo vero facile reperiri posse, quod pietatem, & devotionem fapiat, aliæque afferat spiritualia commoda; multa is quidem diceret, suamque assertionem firmare posset his, quæ adnotat Theophilus Raynaudus *tom. 15. suorum Operum p. 83. col. 1.* ubi loquens de Sacramenti expositione fieri solita, cum aliquod imminet infortunium, ita scite rem expendit: „Est modus aptissimus permovendi populum, ac exitandi ad pietatem necessitati congruentem, verbi gratia, si ingruat pestis, aut incurtus hostium, aut aerarum tempestatum malignitas: nihil enim habet Ecclesia aptius ad plebem Fidelium excitandam, & sensu pietatis Deum placatur afficiendam, quam sacrum spec-taculum Corporis Christi propalam exhibiti, & objectum ejus in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Sed non satis ea essent: Ritus quippe, de quo est questio, multa habet adnexa inferius à nobis expendenda, ex quibus, seposita pietate actus, jure meritoque potest Ecclesia eum non probare, neque enim illa hæc in re intrinsecam tantummodo ejusdem bonitatem spectat, sed & alia, quæ vel neglecta, vel non prævisa, facile possunt confusiones inducere, ac perturbationes.

§. 7. Si quis autem, ut sibi tuta unoque veluti ictu salva res esset, Ecclesiasticas proferret historias, exempla præsto essent opinioni suæ valde accommodata. In Chronica Albigentium Episcoporum, atque Abbatum Castræ, apud Thiers in Tractatu de Expositione Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti 2. part. impressionis Parisiensis anni 1677. lib. 5. cap. 12. legitur, sub Abbate Geraldo, qui vixit ad annum 1090. incendium à fulmine excitatum, fuisse hoc pacto extinctum.

*Janque Monasterium furibunda incendia voluit,  
Cum, Christi oblato Corpore, flamma cadit.*

Celebre est S. Bernardi factum relatum in ejus vita, quam scribere instituit Abbas Guillelmus à S. Theodorico, absolvitque Abbas Hernaldus à Bonavalle, veteri amicitia cum Sancto conjunctus. Adstabat ad Ecclesiæ Januam Willelmus Aquitaniz Dux, intus ob excommunicationem non ingrediens. Vir Sanctus interea Sacrum faciebat: cumque confecerat, ante consumptionem, imposito Patenæ Divino Sacramento, & ad Duceum accedens, ipsum eo ferventis animi affectu est allocutus, ut eundem ad insignem penitentiam adduxerit, & ad novum

vitz institutum, unde portio in Beatorum album, qui cultum in Ecclesia obtinent; recenteri promeruit, uti videre est in Martyrologio Romano quarto Idus Februarii. Gesta res descripta legitur in prædicata antiqua vita S. Bernardi, & perbelle retexitur à duobus recentioribus ejusdem Vitæ scriptoribus, à Magagnotio nempe *lib. 2. cap. 6. n. 38.* & à Petrina in *Historia Chronologica lib. 4. tom. 1. num. 371. & seq.* Celebre quoque se se prodit factum S. Claræ, quæ, ut Monasterium suum, universamque Alesandensem Urbem fervaret à direptione, ac stragibus Saracenorum, januam impia consilia exequentium, ad Monasterii januam afferri curavit Tabernaculum Sacramentum includens; Christique vix objecto corpore, Saracenorum nonnulli obcecati, reliqui præcipites effugere. Rem narrat S. Antonius in  *suis Historiis tit. 24. cap. 6. §. 3.* Resumitur eadem à Bollandistis *tom. 2. mensis Augusti prædie idus pag. 759. num. 21.* & à Pagio in *Vita Alexandri IV. num. 15.* Ejusdem fere temporis cum S. Claræ factum est, & aliud relatum à Roderico Granateni *part. 2. Expeditionis Symboli, cap. 27. §. 7.* secutum anno 1230. in Regno Valentiz, dum bellum gereretur in Mauros: de horum quippe exercitu tum Christifideles insignem retulere victoriam, cum pius Sacerdos manibus gestans pannum lineum consecratis Particulis plenum, prodiit in omnium conspectum, Deum exorans, ut nostris prælo esset, eoque pacto est eisdem horatus ad instaurandum certamen, quod prope insignis victoria est consecuta. Meminimus, & ipsi eorum, quæ in minoribus, agentisque Promotorem Fidei, legitimus in Actis collectis super virtutibus Beati Petri Fournierii, ad quem cum delatum fuisset, publica in Caupona quosdam sacrilegis verbis Divinum nomen violare, ad Sacrum Tabernaculum advolavit, arreptamque Sacram Pyxidem, secum detulit ad Cauponam, cumque Sacram pignus manu ostentans, immane facinus scelestis patefecisset, atque exprobrasset, eisdem ad penitentiam adduxit. At hæc, hisque similia exempla ex peculiari divino spiritu impulsuque processisse, demonstratum est, non solum ex secundo eventu, sed & ex peculiaribus hæc agentium virtutibus. Ea itaque sunt hæc exempla, quæ miremur, haud autem imitemur, nec quidquam exinde inferri potest pro his, qui debent se ad legum normam componere, quemadmodum à Nobis quoque fuit generaliter demonstratum in nostro Opere de *Canonizatione Sanctorum, lib. 3. cap. 41. & præcipue num. 20.*

§. 8. In hanc classem referri, & illud potest, quod legitur in Natali 10. quod S. Paulini Nolani opus est, ubi narrat, ingens incendium fuisse extinctum objecto tantum ad flammam Sanctæ Crucis frustulo.

*Vicerat ignis aquam, nos ligno vicimus ignem,*

Quam-



Quamvis aqua non potuit, vicit brevis hastula flammam.

Et quoties ex classe horum, similitumque exemplorum, quæ peculiari Divino afflatui non immerito tribuuntur, ad alios progredi quis vellet eventus, allatam Divini impulsus exceptionem haut ita facile recipientes, veluti ad id, quod sub annum 1647. contigisse fertur Hale Tyrolis, ubi cum Sacerdos Venerabili Eucharistia adhibita, ingenti incendio benedixisset, restitit ignis; vel ad illud, quod anno 1734. sive alio veriori tempore, hic Romæ gestum est, tunc, quando publica solemnique pompa fuit Sacramentum ab Ecclesia delatum ad incendii locum, eoque impertita benedictio; qui his uteretur exemplis, haud valde proficeret, tum quia primum ex recentis factis affertur à Gobato in sua *Theologia Experiment. tract. 4. cap. 21. sect. 1. num. 375.* qui tamen illud non probat, sed tantum nuncupat felix ab exitu: *Fatum felix ab eventu;* tum quia unum, vel plura adhuc facta huiusmodi, aut incognita, aut à Superioribus diisimulata, haud tanti sunt, quibus iure recens aliqua disciplina, novisque Ritus innitatur.

§. 9. Sicuti prænotatum est, superius allata argumenta, ad ritum, de quo sermo est, vindicandum infirma sunt, leviorisque momenti, sed ejusdem furoris sunt alia quædam, quæ in Ritum ipsam obiectantur, atque extolluntur. Ajunt nonnulli, Eucharistia Sacramentum à Christo fuisse institutum, ut eo vesceremur; quod quidem indubium est: at satis deprehendi non potest, quomodo ex hoc antecedenti inferre liceat, haud decere illud in Supplicationibus deferre, Deumque, qui sub Sacramenti speciebus adest, deprecari, ut à gravibus nos quandoque obidentibus periculis præteret incolumes. Neque enim ideo minus est adorandum, (sunt concepta verba Concilii Tridentini, de hoc Divino Sacramento loquentis, *sess. 13. cap. 5.*) Quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem terrarum, dicit: Et advenit cum omnes Angeli Dei: quem Magi procedentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. Exinde Tridentini Patres commendare pergunt pias Supplicationes in Festo Corporis Christi haberi solitas, religiosaque actiones comitantium adorandum Sacramentum, dum ad ægrotos affertur uti videre est *cap. 5. & cap. 6. & can. 6. cit. sess. 13.* Christus Dominus qua homo, vel nunc in gloria statu, Deum Patrem pro nobis rogat: *Christus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis:* legitur in *Epistola ad Romanos 8. Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum*, subditur in *Epistola prima S. Joannis cap. 2.* sive porro hoc præstet, petens expresse à Deo, ut nobis proficua

concedat, sive implicite suam exhibens Humanitatem, veluti Hostiam jam ipsi in Cruce oblatam, ut Deus in eam respiciens, quæ utilia nobis possunt evadere, largiatur; veluti disserunt nostri Theologi, qui licet in explicatione tradenda discrepent inter se, dum alii primæ subscribunt, alii secundæ sententiæ; consentiunt tamen omnes quoad dogma, infimul adnotantes, neque Ecclesiam, neque Fideles solere absolute ad Christum confugere, ut ipse pro nobis oret, sed ut nostra velit exaudire vota, ne videantur cum Arii, & Nestorii erroribus consentire, qui tueri audebant, ipsam Christi personam, ad quam vota diriguntur nostra, esse creatam, & divina inferiorem. Cum autem nostras preces audiat Christus, quoties id promeretur, cumque idem Christus vere Deus, & Homo, vere, realiter, ac substantialiter, sub speciebus Eucharistia panis contineatur, omnino nunquam affirmari poterit, non posse nos supplices ad ipsum confugere, ut incendium extingui deprecemur, ex eo tantum quod Sacramentum fuerit in nostrum cibum institutum; sed erit tantummodo asserendum, non licere ita ad illum confugere, ut Sacramentum educatur è Tabernaculo, afferatur ad ignem, atque ad incendium benedicatur, ob qualiteram Ritus, quoties firma desint ad eum vindicandum argumenta.

§. 10. Alii ulterius progrediuntur, asserentesque non posse rem creatam irrationalem Dei nomine adjurari, aut man, hoc unum posse valide obistere ritui benedicendi incendii cum Eucharistia Sacramento: sed infirmum omnino videtur hoc argumentum. Creatura expers rationis, si ipsa per se attendatur, cum non intelligat, talis non est, quæ adjurari possit; capax tamen evadit, quæ exorcismi Ecclesiæ subiciatur, si veluti ab alio acta inspicitur; ex quo consequitur, posse orationes nostras ad Deum intendi, ut eam nobis nocere prohibeat, etiam si à Dæmone in nostrum damnum detrimentumque ageretur. Est hæc S. Thomæ doctrina 2. 2. *quæst. 90. art. 3.* Verum eadem nihil profecto opus est in hac facti specie, in qua dum adhibita Pyxide, benedicatur incendio, nulli unquam intermixti sunt, vel intermiscerentur exorcismi. Alii ritum improbant, asserentes ipsi inesse Dei tentationem, vitium Religioni oppositum, ideoque peccatum sapiens, & grave quidem peccatum, quamvis superstitione inferius, uti fufè docet, demonstratque Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 97. art. 2. & duob. seqq.* At si expressa Dei tentatio, juxta eundem Sancti Doctoris sententiam, tunc, inducitur, cum quis quidquam agit ea mente, atque consilio, ut Dei scientiam, potentiam, patientiam, voluntatemve scrutetur; interpretativa autem, & implicita, quando non agit is quidem eadem concepta, expressaque mente, sed tamen quidquam loquitur vel agit, cui non alius potest esse scopus, quam ut Divina alicujus virtutis periculum fiat; quod tunc plane contingit, cum quis paratas habens uti-

tatas, vulgaresque agendi rationes, has quidem sponte omittit, seque ultro in discrimen adducit. Sicuti tentare, est experimentum fumere, seu explorare, ita Deum tentare, est velle fumere experimentum de aliqua ipsius perfectione, veluti an sciat, an possit, an velit quidpiam; quod tum verbis, tum factis fieri potest, idque dupliciter; uno modo expresse, puta cum aliquis ea intentione dicit, aut facit quidpiam, ut exploret Dei scientiam, potentiam, patientiam, aut voluntatem: altero modo implicite, seu interpretative, quando non est quidem homini formalis, & expressa intentio fidei aliquid explorandi, hoc tamen dicit, aut facit, quod non potest aliò ordinari, quam ad experimentum fumendum de aliqua Dei perfectione, veluti quando aliquis humanis, & naturalibus mediis non desitutus, ea fine rationabili causa omittit, aut se periculo exponit: verba sunt Sylvii egregii S. Thomæ Interpretis *ad art. 1. præcit. quæst. 97.* Quomodo unquam poterit iure defendi, eum, qui Venerabili Sacramento ad Incendium benedicat, qui Deum rogat, ut miseris afflictosque ab irruente infortunio velit præstare exemptos, qui non ea mente est ut Divina potentia sumat periculum, qui humana non spernit subsidia, sed iis undique collectis, omnia enicitur, assiduas tamen Divina Majestati preces offerens, ut quod imminet, grave malum, dignetur avertere, hunc, inquam, gravissimi criminis expresse, vel tacite Dei tentationis posse reum pronunciar?

§. 11. Alii denique arbitrantur, non esse usu recipiendam asseritam piam consuetudinem asserendi Sacramentum Sacra Pyxide contentum, eoque benedicendi incendiis, ne forte id fiat cum ignis divitum aedes incensit, non autem pauperum domunculas: neque inanis hic quidem est, vel sola mente conceptus timor: Thiers quippe *præcit. cap. 12.* invehitur in satis illacrymabilem hanc personarum acceptionem, veluti aliquibus in locis usu receptam. Idem auctor præterea plures cumulat Synodales sanctiones, quibus severe interdicitur, sacra Lintea ad incendium asserre, eaque projicere in flammam, ut extinguantur, atque multo etiam magis ipsa Sacra Hostia projiciatur in ignem, ea quidem spe, ita illum restinguere posse. Quidquid asserit præcitatus auctor, perspicue admitti debet; imo quoties, ad ea firmanda, quæ in ritum faciendi in ignem Sacram Hostiam profert, & in irreverentiam eo actu contentam, alio opus esset exemplo pro ipsum non inducto, illud minime desideraretur. Etenim, quamvis in Italia, & præsertim Florentia, vigeret usus comprobandi additam veritatem innocuo alicujus transitu per ignem, quod plane præstitit Beatus Petrus Igneus dicitur, qui ut evinceret Petrum Pavesium Florentia Episcopum simoniace in Episcopatum fuisse intrusum, ideoque deponendum esse, uti re ipsa factum est, illæsus per ardentem ignem pertransiit, quemadmodum

opportunis allatis monumentis demonstravimus *nostro lib. de Canoniz. Sanct. cap. 33.* tamen cum nonnullis exinde factis in eadem Civitate idem fumi voluerit experimentum ad fidem auctoritatemque conciliandam Doctrinæ Hieronymi Savonarolæ, cumque aliqui sese protulerint paratos per ignem transgredi, manu gestantes Eucharistia Sacramentum, Eucharistia delationem non probarunt judices, constanti judicio eam denegantes, ac irreligiosam definientes, prævique exempli, spectatis iis facti circumstantiis, in quibus usurpari cupiebatur; uti videre est in vita præfati Hieronymi Savonarolæ scripta à Francisco Pico *tom. 2. impressio Parisiorum 1674. pag. 70. tom. 2. additionum ad eandem vitam, p. 306.* & in Appendice ad Vitam Alexandri Sexti Pontificis exaratam ab Alexandro Gordonio *tom. 2. pag. 435.* Verum his omnibus nihil commune est cum casu nostro. Qui enim ritum, de quo nunc agimus, tuetur, facile responderet potest, si asserat, licere omnino ipso adhibito Sacramento extatis incendiis benedicere, nec tamen ullum fieri debere divitis, & pauperis discrimen, neque Eucharistiam post benedictionem in ignem projiciendam esse, sed imo in tabernaculum, unde fuit ducta, omni cum honore restituendam.

§. 12. Sepostis itaque superius allatis animadversionibus, rationibusque, vel ritui faventibus, vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, unica, cui insistas, atque via sita est in investigandis, expendisque regulis ab Ecclesia præscriptis de cultu Sanctissimæ Eucharistia: neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate, vel ex vere etiam devotionis, zelique affectu, novum ritum inducere. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholice Ritus in Solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiasticum Pastorem mutari posse, anathema sit: verba sunt Sacra Tridentina Synodi *can. 13. sess. 7. de Sacramentis in genere.* Et quoties aliquem Ritum ejusmodi induci contigit, est nihil continentem pietati, ac religioni oppositum, Apostolica Sedes eundem ipsum interdiciere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus prævisis, vel neglectis ab eo, qui ritum invenit. Ut plura prætermittamus exempla, ad rem præsentem fat est unum illud innovare de Sanctissimo Sacramento, olim asserti solito ad ægrotos, qui cum exoptarent illud fumere in Viaticum, nec tamen possent deglutire, nonnulli in ipsum saltem intueri cupiebant, alii adorare, ac deosculari; veritum quippe id fuit à Sancto Pontifice Pio V. cui interdictio consonum quoque est alterum adscriptum in Rituali Romano à Paulo V. Summo Pontifice evulgato, in ea parte, quæ est de *Communione infirmorum*, ubi, sermone Instituto de Divino Sacramento, hæc



leguntur: sed alieni ad adorandum solum, seu devotionis, seu cuiusvis rei pretextu, ad ostendendum non deferatur: idque non ea sane de causa, quod simplex adoratio (quidquid sit de Sacrae Hostiae osculo) quicquam habere contrarium debito cultui, quum potius eidem esset maxime consentanea; sed ratione quarundam circumstantiarum, quas sapientes legislatores recte adnotarunt, qualque innuit Card. de Lugo in suis Responsis Moralibus, lib. 1. dub. 11. n. 3. Merito id prohibuit, loquitur de Sancto Pio V. quia si ad privatam aegroti consolationem, & sine spe refectionis Sacramentalis, tanta Salvatoris Majestas loco movenda, & per vias publicas circumferenda esset, paulatim ea infirmorum pietas introduceret, ut, sicut Sanctorum Reliquiae ad eos deferuntur, & applicantur curationis gratia, ita & ad eoldem non communicaturos, nec periculose decumbentes, deferretur Eucharistia, & applicaretur partibus laevis, & dolentibus, spe impetrandae curationis; quae, & alia similia, cultum, & reverentiam debitam tantae Majestati, paulatim iniurerent.

§. 13. Annuam Ecclesia constituit solemnitatem Corporis Christi, quae à Tridentino Concilio dicitur Religionis nostrae adversus Haereses Triumphum, sicuti videre est sess. 13. cap. 15. Supplicationem quoque instituit ea occasione habendam, jam inde ab Urbano IV. quemadmodum fuit à nobis demonstratum fuit in nostro Opere de Festis Domini, cum de Festo Corporis Christi differimus. Cavet Ecclesia, ut Sacramentum ad infirmos cum debito honore deferatur, cum ipsum suscipiuntur sunt in Viaticum, uti licet deprehendere ex pluribus Synodalibus sanctionibus, decretisque editis tum à Summis Pontificibus, tum & ab Episcopis quoque Diocesces suas. Amplexa est Ecclesia pium usum exponendi Venerabile Sacramentum omnibus conspicium, utpote duobus crystalis inclusum in Olfensorio, quod dicitur *Monstrantia*, in statutis Concilii Colonienfis habiti sub Card. de Cusa Nicolai V. per Germaniam Legati Apost. sicuti nosse licet ex tom. 9. Collectionis Conciliorum Hardevini col. 1368. lit. C. dummodo id de licentia Ordinarii, publicamque ob causam aliquam fiat. Adiecit & illud Ecclesia, quod si privata tantum, non autem publica causa subit, Sacramentum exponatur; ita tamen, ut, referato Tabernaculo, inde Sacrum Christi Corpus minime educatur, sed vel Sacra Pyxide fit inclusum, aut Velo obiectum ita, ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus decretis editis à Congregationibus Urbis, & per Summos Pontifices probatis, quas omnes collegimus ipsi, cum Bononiae esse-mus, in una ex nostris Institutionibus *Italicae editionis* t. 2. quae in Latinam quoque versionem est illata. Cogitavit Ecclesia de Benedictionibus, Venerabili Sacramento adhibito, impertiendis, tum post publicas habitas supplicationes, tum quoties post so-

lemnem expositionem Sacramentum est in Tabernaculo restituendum, ac denique cum sumpto per Aegrotum Viatico, reliqua in Sacra Pyxide est Particula, quam Sacerdos secum ad Ecclesiam refert, veluti nosse licet ex Rituali Romano tit. de Communionem Infirmorum. Casum denique profluxit Ecclesia instantis alicujus nimbi, procellae, alteriusve ingentis periculi, cavique, ut si populus excitari velit ad Deum Optimum Maximum deprecandum, quo ab ingruenti malo praestetur immunis, adaperiatur Tabernaculum, minime educto Sacramento, sed ante ipsum Sacra Pyxide inclusum preces religiose affectu recitentur. Haec est methodus praescripta à magno S. Carolo Borromeo in sua tertia Synodo Diocesana habita anno 1572. „Cum „grandines, nimbi, turbines, & aliae temporum: pro- „cellae imminet, ad eas tempestates sedandas, vel „ut vocant, signandas, ne Sacerdos vasculum, in „quo Sanctissimum Christi Domini Corpus, asserva- „tur, adhibeat, sed Tabernaculum accensis lumini- „bus patefaciat, ut ea à nimborum vi imminente, ro- „gationes & preces à Clero populoque coram Do- „mino religiose fiant. „Quod confirmatum noscitur in tertia Synodo Provinciali coacta subsequenti anno 1573. „Cum nimbi, procellae, turbines, aut gran- „dines impendent, ne Sacerdos ad tempestatis pro- „cellam arcendam vasculum adhibeat, in quo Sanctis- „simum Eucharistiae Sacramentum asservatur, sed „Tabernaculum, ubi illud in Altare reconditur, pa- „tefaciat, licet; tuncque in ejus conspectu Litanias, „aliaeque religiosas preces ejus rei causa institutas pie „sanctaeque pronunciet. „Consonat his Ritualis Ebroicensis, anno 1606. à magno Cardinali de Perron composuit. Perspicuum itaque est systema à S. Carolo Borromeo, veluti lex quaedam, in universa Diocesi, Provinciaeque sua stabilitum, quodque merito pro ceteris locis haberi potest, tanquam regula in vi *divina*, cum ex aliquo tempestatum, grandinum, fulminumque inopinato casu, supplices ad Deum libet confugere. Aperiendum namque est, uti praenotavimus, Tabernaculum, Sacramentum intra Pyxidem relinquendum, pie fundendae preces, ut Divinum nobis opem imploremus. Si autem Sacramentum non debet à Tabernaculo educi, facile intelligitur, in designatis casibus non esse illud afferendum ad Ecclesiam januam, nec cum eodem Benedictionem impertiendam.

§. 14. Loquuntur quidem mox supra allatae auctoritates de turbinum, procellarumque casu, quin suspicari possumus, audere quenquam excipere, eas minime congruere incendiis; par omnium quippe ratio est: & quoties, ut aliorum subtilibus, levibusque cavillationibus fieret satis, exquiri Synodi vellent, ac Ritualia conceptis verbis loquentia de incendiis casu, sat erit manum protendere ad Synodum Archiepiscopi Parisiensis habitam anno 1674. art. 7. cap. 2. in qua disertis verbis cavetur, ne Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum qua-

-cum-

cumque de causa unquam ad incendia afferatur, indicta in Sacerdotem, qui deliquisset, suspensionis poena; & ad Ritualis Argentoratensis Ecclesiae vulgatum à bonae mem. Cardinali de Rohan, impressumque anno 1742. ubi pag. 83. lequentia adnotantur verba: „Prohibitum est insuper, sermo est de Sacramento Altaris, ne ad extinguenda incendia deferatur, & quidem sub poena suspensionis, à Ministris deferentibus ipso facto incurrenda. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Qui dixit mari: „usque huc venies. „ & hic confringes tumentes fluctus tuos „ potest, & impetum ignis refrinare. Quandoque autem, sicut potens, sic & iustus mala quaedam permittit; & quia, num facile sit placabilis, ignorans; vitandum illud omne, quod & quorundam Christianorum fidem infirmare posset, & nostrorum honorem Mytteriorum malignis infidelium, aut haereticorum irrisionibus exponere. „ Qui temporalia à Deo exproscit; pavidus debet eadem rogare, divinaeque voluntati se omnino committere: „Quando petite temporalia, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut, si profint, det, si scit obesse, non det. „ Quid autem obist, quid profint, medicus novit, nos aegrotus: inquit Sanctus Augustinus in serm. 354. alias 53. de Verbis Domini cap. 7. Cum terviant infortuna, homines plerumque Deum, quomodo oporteret, non orant; liberari se petunt, nihilque praeterea curant: cumque ceteroquin pietate, ac devotione erga Sacramentum Altaris exardeant, videntes educi illud à Tabernaculo post recitatas preces, afferri ad Ecclesiam januam, eodemque adhibito per Sacerdotem benedici ad eam regionem, unde erumpunt turbines, & procellae, vel ad eam, in qua furit incendium; impletur fiducia quadam, certa-que spe, ad exitum jam pertigisse calamitates suas, & si id haud fiat, sicuti ex iusto Dei iudicio piurisque repta non contingit, magnum exinde subest periculum, ne labefactetur, vel tepescat fervens illa devotio erga Augustissimum Altaris Sacramentum; misso interea facto altero periculo irrisionum ab incredulis. Atque hae profecto animadversiones fecerunt, ut à solertissimis Episcopis statueretur, ne Pyxis à Tabernaculo educatur, ne exportetur ab Ecclesia, neve cum ea in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, ad tempestates, aut incendia benedicatur.

§. 15. Haud ab similibus est obessorum exorcizandorum species; in Rituali liquidem permittuntur Sanctorum Reliquiae, oportunitas adhibitis cautelis, eorum capitibus, pectoribusque imponi. Reliquiae quoque Sanctorum, ubi haberi possint, decenter, ac tuto colligatae, & cooperatae, ad pectus, vel ad caput obiecti reverenter admoventur. Non tamen licet ad caput eorum, vel pectus, facram admoveere Eucharistiam, ob irreverentiae periculum: Sanctissima vero Eucharistia super caput obiecti, aut aliter ejus corpori non admo-

veatur, ob irreverentiae periculum. Ersi in vita Sancti Bernardi, in Chronicis Belgicis Molineri, & in Catalogo Belgico Bernardi à Lucemburgo lit. G. haud desiderentur exempla Sanctorum Virorum, qui tale quiddam praestiterit, atque ita ab Obiectis Daemones eiecerunt: facta enim haec, sicut praediximus, iis accendienda sunt exemplis, quae admiratione quidem, non vero imitatione prosequi debeas.

§. 16. Ceteris quibusque Auctoribus Joannes Baptista Tiers eruditus, doctusque de hac quaestione differuit, illamque diremiti iuxta ea, quae haecenus dicta sunt, in suo Tractatu de Sanctissimo Sacrament. 2. part. cap. 12. & quidquid ibi laetius attulit, legitur ab ipso summam relatum in suo Tractatu de Superstitionibus. tom. 2. cap. 13. Opus Tiers de Expositione Sacrament. valde commendatum, probatumque fuit pio, ac docto Cardinali Bonae, uti nosse licet ex ejus Epistola 321. in tomo hoc ipso anno 1755. culo, pag. 240. Laudatus Cardinalis in ea epistola inquit, praclarum se de illo opere fecisse iudicium, cum sermonem de eo habuisset cum Patre Luca Daeherio, indeque subdit: „Librum optimum esse, & pium, & ab omnibus viris doctis, ac eruditissimis approbatum. Omnes autem „mirantur, quod argumentum per se iterit, & haec „stenus intentatum, tanta ubertate tractaverit, ut „nihil ei desit, nihil ultra desiderari possit. Audi- „vi tumorem propter illum à quibusdam Parisiis „exitatum fuisse sed protinus sedatum, cum nihil „in eo censurae obnoxium sit. „Tanti Cardinalis sententiae ipsi subscribimus, sed quoad praesentem quaestionem erudite adeo discutiam à Tiers, putamus, deesse nonnulla, quae nisi congrua aliqua interpretatione solvantur, concidit Tiers alsumptio, atque etiam nonnihil concipi possunt, quae haecenus constituta sunt.

§. 17. Hoc maxime Tiers expendit, cum in tot Synodis actum sit, ac constitutum, quidquid agi oportet, dum aliquo tempestatis, incendiique accidit infortunium, ne unam reperiri quidem suadentem, vel permittentem Benedictionem, Sacramento adhibito: Praeterea, ex tot Ritualibus in Sacramentum Functionum normam impreis, nullum penitus adinventi consuetudinem, ut tempestatis, incendiisque, Sacramento adhibito, benedicatur; etiam ceteroquin similia non desint Ritualia, & monumenta Benedictionum, quae, adhibitis Sanctorum Reliquiis, vel Crucis imaginibus, impertiantur: & ex tanto omnium silentio validum elicunt argumentum adversus ritum benedicendi, adhibito Sacramento, tempestatis, incendiisque, adhibito. At si forte nonnulla extarent Ritualia, quibus hoc plane suaderetur, ingens concuteretur adificium, omniaque disrup-ta corruerent.

§. 18. In Benedictionali Romano pag. 227. à tergo, sub tit. de Benedictione adversus tempestates, sequentia verba adnotata reperuntur, „Si expediens „visum fuerit, Sacerdos accipiat reverenter Cor-

S

pus



pus Domini in vase debito, & Ecclesia exiens, nubes in modum Crucis cum dicto vase signet., Et in Rituali Cardinalis Sanctorii pag. 709. sub tit. de Exorcismis contra ingruentes aeras tempestatis hæc adscripta leguntur verba: Postea, si ex- pedire visum fuerit, Sacerdos accipiat reveren- ter, & cum luminantibus Corpus Domini in Calice, aut alio vase debito, & Ecclesiam exiens, nubes in modum Crucis cum dicto vase signet., Auctor Sacramentalis Romani fuit Pater Albertus Castellani Ordinis Prædicatorum, qui multo labore illud elucubravit, dicavitque Leoni X. Pontifici Maximo. Et antequam typis traderetur, examinatum, emendatumque fuit iussu Pii IV. Pontificis, veluti cognoscere est tom. 2. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum P. Jacobi Ebdard, pag. 48.* Alterum Rituale auctorem habuit Cardinalem Sanctorium, S. Severinæ nuncupatum, teste Ciaconio in *ejus Vit. tom. 3. pag. 104.* De hoc autem Rituali Cardinalis Sanctorii perhonorificè sit mentio in Brevis Summi Pontificis Pauli V. incipiente: *Apostolicæ Sedis*, dato quarto Idus Julii 1614. impressioque ad frontem Ritualis Romani ab eodem Paulo Pontifice vulgati; in eo quippe refertur, Cardinales ad novi Ritualis editionem designatos, vetera expendisse Ritualia, præsertim vero illud, quod vir singulari pietate, zelo, & doctrina, bonæ memoriæ Julius Antonius S. R. E. Cardinalis Sanctæ Severinæ nuncupatus, longo studio, multaque industria, & labore plenissimum composuerat.

§. 19. His tamen nihil facessentibus, stat Thieris Assertio: prædicata quippe duo Opera publicæ auctoritatis pondere destituuntur. Nos nihil detractum volumus egregio Operi Patris Alberti Castellani, sed asserimus, esse privati Auctoris Opus, nullumque extare argumentum, quo illud à Pio IV. Pontifice approbatum demonstraretur. Neque id temere, aut nulla ratione affirmamus. Agitur in eo Opere de Baptismi forma sub conditione, ac recentibus peculiare factorum circumstantiis, quando; in hujusmodi Sacramento administrando, forma sub conditione uti licet; à Sacramento autem Pœnitentiæ universim hæc forma sub conditione rejicitur: *Secus in Sacramento Pœnitentiæ, quod non licet.* Theologi illi, qui in Sacramento Pœnitentiæ ministrando locum esse negant formæ sub conditione, auctoritate utuntur Sacramentalis Romani à præfato Religioso compositi, venditantes illud Pontifici auctoritate roboratum. At ceteri, quibus forma sub conditione in Pœnitentiæ Sacramento probatur, fidenter respondent, neque anteactò tempore fuisse unquam demonstratum, nec demonstrari nunc posse, enunciatum Opus fuisse ab aliquo ex Summis Pontificibus approbatum; quod & ipsi expressimus in nostro Opere de Synodo Diocesana lib. 7. cap. 15. tom. 2. & seq. novissimæ editionis Romanæ, jamjam absolutæ, & quamprimum vulganda. Prætermittenda nec est consideratio illa;

si nimirum Opus Patris Castellani approbatum fuisset à Pio IV. Pontifice, & Sanctum Carolum Borromæum Pontificis Nepotem, totoque ejus Pontificatus in Ecclesiasticis negotiis maxime veritatum, haud fuisse permittarum; ut in sua Diocesana Synodo, suaque itidem in Synodo Provinciali postea coactis, statueretur, quod nescitur re ipsa statutum, quodque omnimode adversatur iis, quæ in præfato Opere Patris Castellani tradita leguntur.

§. 20. Hinc ad Rituale Cardinalis Sanctorii gradum facimus. Celebris Præsul Fontanini, qui paucos librorum peritia sibi pares habuit, in appendice ad Catalogum librorum bonæ memoriæ Cardinalis Imperialis, lit. S. hæc adnotata reliquit: *Opus rarissimum, sine principio, & sine impressum sub Paulo V. & jure quidem; egregii quippe hujusce operis impressa folia dilitebant in angulo Vaticanæ Bibliothecæ, quorum notitia ad Viros Sacrorum Rituum studiosos delata, impetrarunt hi; ut simul colligerentur, quo eorum exemplum sibi fumere liceret. Tunc vero factum, ut multi ejusdem sibi exemplum comparaverint, quod in suis Bibliothecis condiderunt, cum ante id temporis pauca essent, atque rariora exempla: neque enim alia eousque completa erant exempla, quamque extabant, & nunc etiam extant; unum in Bibliotheca Monasterii S. Crucis in Hierusalem, duo autem in Bibliotheca Collegii Romani, quorum alterum fuit Venerabilis Cardinalis Bellarmini, alterum Præfatus Coccini Rotæ Auditoris. Uti prænotatum est, assitit Præsul Fontanini, Rituale Cardinalis Sanctorii principio destitutum, & sine; idque omnino verum, quemadmodum videre est in exemplis mox supra indicatis. Testatur, illud sub Paulo V. impressum, at non meminit, quod illum laterit fortasse, suppressum fuisse iussu ejusdem Pontificis, dum adhuc sub prælo esset, quemadmodum ab eodem Præfate Coccini sua manu adnotatum legitur in præfato Rituali, in Collegio Romano, uti prædictum est, assertivo: *Hoc Opus, dum adhuc sub prælo esset, suppressum fuit Romæ tempore Pauli V. ideoque caret principio, medio, & fine.* Et licet in ejusdem Ritualis exemplis novissime vulgatis, ac distributis, initium reperitur, ac finis, facile tamen deprehenditur, & initium, & finem ipsi fuisse, quamvis fortasse parum considerate superaddidit, ne per manus abiret mutilum exemplum, nec caput habens, nec pedes.*

§. 21. Id vero comprobatur ex titulo, sive inscriptione præfatis recentibus exemplaribus præposita, constat quippe his verbis: *Rituale Sacramentorum Romanum, Gregorii XIII. Pontificis Maximi iussu editum. Romæ 1584.* in quo facti veritatis primum desideratur, cum de imprimendo Rituali Cardinalis Sanctorii cogitatum fuerit tantummodo sub Pontificatu Pauli V. uti mox supra dictum est; nec tutum illud fuerit superite Auctore, qui

qui è vivis excessit sub annum 1601. Clemens VIII. Pontifex, sed ab ejusdem hæredibus sub Pontificatu Pauli V. quemadmodum mox infra constabit.

§. 22. In prædictis exemplaribus, & finis quoque conspicitur; pagina quippe 712. hæc leguntur verba: *Rituali Romani Finis.* Qui autem id sibi sumpsit, ut extrema suppleret, mediam partem satis non insepexit, ubi non minus in ipsis, quam in cæteris quibuscumque exemplis desiderantur paginae, quæ à pag. 252. ad pag. 257. subséquuntur. Verum, quantumcumque sit hæc animadvertio, sermonem omnem colligentes ad finem, facili negotio detegitur recens superadditio nonnullorum foliorum, quæ non solum ex charta, & atramento evincitur, sed ex ipso paginarum numero; postrema quippe exemplaria ad paginam pertingunt 712. cum cæterorum duo vetera exempla, alterum nempe Cardinalis Bellarmini, & alterum in Bibliotheca S. Crucis in Hierusalem asservatum, pag. 604. non prætergrediantur, atque etiam alterum Præfatus Coccini pag. 708. compleatur. Ritus itaque Benedictionis cum Sanctissimo Sacramento non nisi in postremis exemplaribus reperitur, cum legatur ipse ad pag. 709. & cæterorum vetera inter exemplaria nullam pag. 708. prætergrediatur.

§. 23. Ad absolutissimam notitiam eorum omnium, quæ Rituale respiciunt Cardinalis Sanctorii, nihil superest aliud, quam inquirere causam, cur fuerit, Paulo V. Pontifice, sudante prælo suppressum. Huic autem investigationi videntur posse cumulatae satisfacere ea ipsa, quæ charactere Venerabilis Cardinalis Bellarmini adnotata reperiuntur in exemplo Ritualis Cardinalis Sanctorii, quo Bellarminus utebatur, quodque, uti sæpius monuimus, extat in Bibliotheca Collegii Romani. Hic Liber confectus est à Cardinali Sanctæ Severinæ longo tempore, & magno labore, & si quidem sub nomine prædicti Cardinalis fuisset impressus, dempto illo verbo Romani (quod verbum etiam non extaret in libri fronte, tunc non impressa; aderat illa tamen in prima Operis pagina: *Rituali Romani Liber primus*) potuisset liberè communicari cum omnibus: sed non placuit iis, ad quos pertinebat, ut cum nomine Romani publicaretur; & non placuit hæredi Cardinalis, ut sine nomine Romani exiret. Ea causa est, cur hic Liber lucem non aspiciat, & imperfectus, ac mutilus extet in privatis Bibliothecis.

§. 24. Est itaque Opus Cardinalis Sanctorii omni commendatione dignum, optimoque jure sibi vindicat laudes, quæ de eo, tum in adnotatione Cardinalis Bellarmini, tum & in præmemorato Brevis Pauli V. leguntur. Nosque ipsi Auctoris laborem, & eruditionem sæpius admirati, non prætermisimus eo uti, debitamque laudem in nostris vulgatis Operibus ipsi tribuere. At, ex superius allatis notitiis, fieri nullo modo potest, ut ipsi vis legis concedatur, existimeturque veluti opus à Summis Pontificibus approbatum, & tanquam Rituale Ro-

manum; titulus enim hic solummodo convenit Rituali Pauli V. Pontificis ad Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos per ipsum directo, ut in posterum tanquam Ecclesiæ Romanæ Filii, ejusdem Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ auctoritate constituto Rituali in Sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent: uti legitur in illius Brevis anni 1614. quo Rituale Romanum confirmat, & in quo licet adnotatæ legantur preces recitandæ ad repellendam tempestatem, fiatque mentio sonitus aris campani, signi Crucis: atque asperisionis aquæ benedictæ; nullum tamen omnino sit verbum de Benedictione, adhibito Sacramento impertienda.

§. 25. Denique in una libræ lance statuatur opus Cardinalis Sanctorii, quod, quantumcumque tandem sint reliquæ exceptiones omnes, nunquam dici poterit Pontificia auctoritate roboratum, illique in novam oneris accessionem superaddatur alterum Opus Patris Castellani, nunquam, & ipsum approbationem illam Pontificia consequutum; in altera vero lance ponantur Synodi Sancti Caroli Borromæi, quamvis illa, si vim legis consideres, in Diocesi, totaque Provincia Mediolanensi solummodo obtineant; hæcque omnia si quisquam ponderet, conspiciet illico propendere illam Synodorum lancem, quamque, alicui hujusmodi casu sese offerente, deliberandum erit, obstrictam se noscet, vi quidem directiva, amplecti quidquid fuit à S. Carolo præfatis in Synodis constitutum. Non indigent præfate Synodi, ut quidquam illis adjiciatur, at si quæ fieri vellet accessio, in promptu illa quidem esset, & facillime comparanda ex aliis Synodis, & Ritualibus aliarum Diocesium, in quibus ex norma in S. Caroli Synodis tradita, statutum cernitur, ut cum incendii periculum subest, aperiat Tabernaculum, Sacramentum relinquatur obreatum, religio fiat precum recitatio, nec extrahatur Sacramentum, ac proinde ne cum eodem ad incendia, tempestatesque benedicatur.

§. 26. Supra allatæ sunt Synodorum, Auctorumque transfalpinorum auctoritates, nunc alias superaddemus ex Italis nostris desumptas. Injuriam sibi faceret is, cui incomperata essent tum eximia virtus Præfatus Gratiani olim America Episcopi, tum ejusdem celebris Synodus habita anno 1595. in *cujus capite 109.* ita legitur: Ad arcendas pluvias, aut tempestates, procellasque, quæ forte impendere videbantur, nemo Sacerdos Pyxidem ipsam cum Sacramento offerat, sed tantum Tabernaculum, patefacto ostio, adaperiat, & in conspectu, Sacramenti, genibus ad terram datis, Litanias, aliasque preces ejus rei causa institutas, pie sancteque cum populo, qui aderit, aut cum Clericis, aut etiam solus, perat, Divinamque benignitatem, ut mala, quæ peccata nostra ne-



rentur misericordia sua avertat, religiose prece-  
tor = Perfecta quoque est præstantia in rebus ad  
Ritus spectantibus Patris Bartholomæi Gavanti,  
qui composuit *Enchiridion*, seu *Manuale Episcoporum*  
ad sacras functiones rite dirigendas; in hoc au-  
tem verbo *Eucharistia* num. 14. hæc scripta reli-  
quit: *Non adhibeatur contra grandinam, puta in*  
*valvis Ecclesie, benedicendum aërem. Nec missum faci-*  
*entibus Clericatum, utcumque cæteris recentio-*  
*rem, non exiguam tamen laudem consecutum;*  
*in ejus quippe decisione 60. de Eucharistia num.*  
*11. hæc leguntur: At ad benedicendum aërem con-*  
*tra grandinam, prohibitum est Sacram Eucharistiam*  
*exponere in valvis Ecclesie.*

§. 27. His Litteris finem imponimus, tum  
quia aliis obruimur curis, tum & quia activis  
caloribus afficimur. Prudens nobis probatur Fra-  
ternitatis tuæ agendi ratio, dum nihil graviter  
egisti in pivm illum Sacerdotem, qui extra Ja-  
nuam Ecclesie S. Nicolai in Carcere Benedictionem  
super populo, & ad incendium est imper-  
tutus; valde enim huic casui congruere nobis vi-  
dentur verba S. Bernardini *Serm. 40. super Cantica*,  
ubi hæc scripta reliquit: *Etiamsi peperam ac-*  
*tum quid deprehendas, nec sequidices proximum; ma-*

*gis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non*  
*potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta ca-*  
*sam. Verum cum haud iustum æquumve sit, ut,*  
*quæ sunt minus recte gesta, conniventia invales-*  
*cant, iteratque actibus quandam veluti legiti-*  
*ma, spectabilisque consuetudinis speciem obtineant,*  
non solum tibi curæ erit, hæc nostram Epistolam  
in Cancellaria tua custodiri, verum etiam Edic-  
tum, interposita auctoritate nostra propones, in  
certam normam eorum, quæ, excitato incendio  
aliquo, præstantia sunt, ut Deo supplicetur juxta  
ritum S. Romanæ Ecclesie: Edictumque ipsum,  
veluti adamusim, exigis ad ea, quæ à Sancto  
Carolo noscuntur constituta, quæque fuerunt à  
nobis in his nostris Litteris fufius exposita. Teque,  
Ven. Frater noster, ex animo amplectentes, Apo-  
stolicam Benedictionem tibi peramanter imperti-  
mur.

Datum apud Sanctam Mariam Majorem die  
27. Julii 1755. Pontificatus nostri anno decimo-  
quinto.

*De surripientibus, aut apud se retinentibus sacras*  
*Hostias, vel Particulas consecratas, vide supra circa*  
*Dominicum, & Fatum, ad Tom. 1. Part. 2. in 7. De-*  
*calogi Præceptum.*

*Indultum celebrandi tres Missas in die Commemorationis Omnium Fidelium Defun-*  
*torum; pro Hispaniarum, & Portugallie Regnis.*

BENEDICTUS PAPA XIV.  
Ad perpetuum rei memoriam.

Quod expensis omnium rationum momentis,  
& gravissimis suffragiis virorum dignitate,  
pietate, ac sapientia insignium concurren-  
tibus, alias à Nobis decretum est, id, ut solemni-  
oribus Apostolicæ auctoritatis nostræ documentis  
confirmatum, quemadmodum est hoc in more  
positum, laudabilique Prædecessorum nostrorum  
Romanorum Pontificum instituto commendatum,  
majori cum observantia debita executioni man-  
datur; novo Apostolicæ confirmationis nostræ pa-  
trocinio communire exoptamus. Sane nuper edi-  
dimus Decretum tenoris sequentis. BENEDICTUS  
PP. XIV. Cum nobis charissimus in Christo Filius  
noster Ferdinandus VI. Hispaniarum Rex Catholicus  
enixam, piamque petitionem exhiberi fecisset, ut  
quæ disciplina viget in suo Aragoniæ Regno (cujus  
appellatione tum ipsa Aragonia, tum etiam Valen-  
tiæ, Cataloniæ, & Majoricæ Ditiones comprehen-  
duntur) ut scilicet in die Commemorationis om-  
nium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos sæ-  
cularis duas, Regularis autem tres Missas celebra-  
re possit; eadem ad cætera quoque Regna, & Do-  
minia eidem Ferdinando Regi subiecta, auctoritate  
nostra extendatur; cumque eodem fere tempore

charissimus quoque in Christo Filius noster Jo-  
hannes V. Portugallie, & Algarbiorum Rex Illustris  
similem instantiam apud Nos promovendi fecisset, ut  
nempe in omnibus Regnis, atque Dominis sibi  
subiectis, cuilibet Sacerdoti, tam Sæculari, quam  
Regulari, facultas per Nos fieret tres Missas præ-  
fata die celebrandi; Nos quidem hujusmodi peti-  
tionum gravitatem pensantes, ac memores simi-  
lium postulationum, quæ aliis Romanis Pontifici-  
bus Prædecessoribus nostris parum felici exitu ex-  
hibita fuerunt, necessarium omnino putavimus to-  
tam rei summam maturo examini subjicere: Quam-  
vis minime hospites in ea Nos reputare possemus;  
siquidem olim ipsius momenta, pro Officio, quod  
tunc gerebamus, Secretarii Congregationis Sanctæ  
Romanæ Ecclesie Cardinalium Concilii Tridentini  
executioni, & interpretationi præpositæ, diligen-  
ter Nobis expendenda fuerunt; cumque etiam  
hæc de re plura scripserimus in nostro Opere de  
*Festis Domini* part. 1. pag. 247. item in Tractatu  
de *Sacrificio Missæ*, sect. 2. pag. 169. juxta editio-  
nem Patavinam, & in una ex Institutionibus Pasto-  
ralibus pro nostro Bononiensi Clero, Populoque  
editis, quæ est 36. in Latina versione Romæ im-  
pressa pag. 185. & 186. ac demum in nostris Lit-  
teris ad Episcopum Olfensem, datis die 16. Mar-  
tii anni 1746. quæ jam seorsim Typis vulgata, in  
Bul-

Bullario nostro tomo 2. propediem edendo locum  
habebunt.

Sane quum Nos in minoribus constituti, præ-  
fata Congregationi Concilii, ut supra diximus, à  
Secretis essemus, oblatusque fuisset duplex Libel-  
lus, in quo ex parte cl. mem. Philippi V. Hispani-  
arum Regis id ipsum studiosissime petebatur, quod  
nunc à Ferdinando Rege ipsius filio iterum peti-  
tur, Officii nostri esse putavimus, instantiam lu-  
jusmodi majori cum apparatu, quemadmodum Ca-  
tholici Regis dignitas postulabat, Congregationi  
representare. Idcirco studiosissime Dissertatio à No-  
bis elucubrata fuit, quæ inserta est in consueto  
folio Relationis Causarum, quod à Secretario con-  
fici, & singulis Cardinalibus tradi consuevit. In  
qua primum Dissertatione rem ipsam accuratissime  
pro viribus exposuimus, neque omisimus origi-  
nem investigare illius disciplinæ, quam diximus in  
Aragoniæ Regno vigere; deinde nonnullas in  
contrarium indicavimus resolutiones, quæ alias ad  
hujusmodi postulata prodierant; tum aliam me-  
moravimus petitionem, quæ olim pro Portugallie  
Regnis facta fuerat Prædecessori nostro Cle-  
menti Papæ IX. ut trias liceret Missas in die Com-  
memorationis Omnium Fidelium Defunctorum ce-  
lebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis  
mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus ad-  
didimus, quod, quum hoc idem ab Hispaniarum  
quondam Rege Philippo IV. pro omnibus, tam  
Sæcularibus, quam Regularibus Regnorum suorum  
Sacerdotibus, postulatum fuerit, vel saltem postu-  
landum fuisse non ignoraretur; ideoque plura ra-  
tionum, factorumve monumenta, pro hujusmodi  
concessione impetranda, collecta tunc fuisse con-  
faret; Nobis datum non fuerat hujusmodi Collec-  
tiones ad causam maxime opportunas reperire: ut  
videre est ex folio pro Congregatione diei 11. Maii  
anni 1722. à Nobis conscripto, quod nunc in The-  
sauro Resolutionum præfate Congregationis Con-  
cilii tom. 2. pag. 169. & seq. impressum reperit-  
tur. Quam autem bon. mem. Ludovicus Cardina-  
lis Belluga Congregationi prædictæ die habita in-  
terfuisse, meminimus ipsum de nostra Dissertatione  
favorabiliter loquutum, in nostram putaret allega-  
tionem devenisse, ut necessarium putaret allega-  
tiones illas tempore Philippi IV. adornatas inspi-  
cere, ipsumque in se recepisse, ut ipsas diligentis-  
sime conquiri curaret. Quapropter Rescriptum pro-  
diit: *Non proposita*: eoque Rescripto factum est,  
ut Instantia tunc quidem pro rerum circumstan-  
tiis minime admittenda conferretur, non tamen omni-  
no, & perpetuo rejecta; quin potius relicta fuerit  
locus ut eriori rationum, atque factorum examini,  
si quæ aliquando ad ipsam petitionem magis juvan-  
dam deducerentur.

Quum itaque nunc ad Nos ipsos in Apostolica  
Sede, inserutabili Dei judicio, collocatos præfate  
petitiones jamdudum delictæ, instantibus præfatis

charissimis in Christo filiis nostris, delatæ fuerint;  
omnia, quæ ad plenam rei cognitionem quomo-  
documque pertinerent, colligi mandavimus; quæ-  
que olim desiderata sunt, in lucem profecti. Ut  
autem nihil sine aliorum prudenti consilio statu-  
remus, peculiarem dilectorum Virorum Congrega-  
tionem ad negotii hujus examen deputavimus; in  
qua adscriptos volumus Venerabilem Fratrem  
Antonium Xaverium, Episcopum Præfatum  
num. S. R. E. Cardinalem *Gentili* nuncupatum, &  
dicitæ Congregationis Concilii Præfectum, &  
Dilectosque Filios nostros ejusdem S. R. E. Cardi-  
ales Presbyteros, Sylvium *Valenti*, Congregationis  
de Propaganda Fide Præfectum, Carolum Albertum  
*Cavalchini*, Præfectum item Congregationis  
per negotiis, & consultationibus Episcoporum,  
Regularium, Fortunatum *Tamburini*, Præfectum  
Congregationis Sacrorum Rituum, & Joachinum  
*Bosozzi*, Majorem Penitentiarum; ac præterea  
Venerabilem Fratrem *Sylvestrum Merani*, Episco-  
pum Porphyrionensem Apostolici Sacramenti Præfectum,  
quem peculiaris hujusce Congregationis Secreta-  
rium declaravimus; ac dilectos Filios, Magistrum  
*Ludovicum Valenti* in utraque signatura nostra Re-  
ferendarium, Protonotarium Apostolicum, & Fi-  
dei Promotorem, Fratrem *Michaëlem à Sancto Jo-*  
*seph*, Priorem Generalem Ordinis Discalceatorum  
Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum,  
*Cassianum Orlandi*, Procuratorem Generalem Con-  
gregationis Monachorum Celestini, *Joannem*  
*Andream Onofrii*, Ordinis Eremitani S. Augusti-  
ni Procuratorem Generalem, *Thomam Sergium*,  
Presbyterum Congregationis Piorum Operario-  
rum, Sanctæ Inquisitionis Consultorem, & Præ-  
fectum Studiorum in Collegio Urbano de Propa-  
ganda Fide, Fratrem *Joachimum Pucci*, Ordinis  
Prædicatorum Magistrum, Episcoporum, & Cle-  
ri Romani Examinatorem; *Dominicum Turanum*,  
Societatis Jesu Presbyterum, & Apostolicæ Peni-  
tentiarie Consultorem Theologum; & *Egydium*  
*Giuli*, ejusdem Societatis Presbyterum, alterum  
Examinatorem Episcoporum, & Sacrorum Canonum  
Professorem in Collegio Germanico-Hungarico ad  
Sanctum Appollinare. His omnibus, & singulis  
exhiberi mandavimus quæcumque ad causam per-  
tinebant, eaque potissimum, quæ nuper reperta  
sunt, sed in præcedentibus propositionibus exhibi-  
ta non fuerant; quæ omnia iusto volumine com-  
prehensa typis edita sunt Romæ anno 1748. da-  
toque aliquod mensium spatio, quo res accurate  
perpenderetur, jussimus, ut singuli sententiam suam  
seripto traditam, ac sigillo obsignatam ad Nos  
transmitterent: quæ omnia diligentissime sunt per-  
acta.

Denique Nos ipsi aliorum laboribus laborem  
nostrum, privataque studia nostra eorum studiis ad-  
junximus, & inspectis, libratique tum novis do-  
cumentis, tum ipsorum Consultorum suffragiis (ex  
qui